



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Simoni Thomæ Medico. Tolosam. XLVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

SIMONI THOMÆ MEDICO.

TOLOSAM. XLVII.

Etsi tua cum singularis virtutis, tum eruditio incomparabilis requirere suo iure videbantur, ut te literis vltro salutarem: tamen ea, quæ me prouocare poterat ut facerem, detergere potuit ne efficerem. Quamobrem a magnitudine tui nominis oppressa verecundia mea deserere officium coacta est. Nunc vero cum tam magnis meritis addita sit noua moles beneficiorum, expressa est tandem audacia, pudorque ipse conticuit. Itaque id euenisce mihi video, quod in machinis contingit: ut adiuncto vectis pondere onera ipsa leuius versentur. Leuissime ante licebat mihi communibus argumentis epistolarum obtegere infantiam meam; nunc cum ad scribendi vulgare officium, etiam debitioris gratiæ accessio facta sit: video mihi consertim dandum esse supplicium cessationis. Quod nisi eadem humanitas, quæ me prouocauit, sustineret spes meas, in ipso sane conatu concidisse. Tu me, Thoma, peregrinum, ignotum, semi-barbarum, cum non solum non contempsisses, sed etiam librorū lectiss. supellestile inopiam meam subleuasses, neque agendis

L 3 gratiis